



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

Annotationes in Sermones S. Bernardi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

Jesu sole serenior,
Et balsamo suavior,
Omni dulcore dulcior,
Cæteris amabilior.

Cuius gustus sic afficit,
Cuius odor sic reficit,
In quo mens mea deficit,
Solutus amanti sufficit.

Tu mentis delectatio,
Amoris consummatio;
Tu mea gloriatio,
Jesu mundi salvatio.

Mi dilecte revertere,
Confors paternæ dexteræ:
Hostem vicisti prosperè,
Jam cœli regno fruire.

Sequar te quoque iëris,
Mihi tolli non poteris,
Quum meum cor abstuleris
Jesu laus nostri generis.

Cœli cives occurrite,
Portas vestras attollite:
Triumphatori dicite,
Ave Jesu rex inclyte.

Rex virtutum, rex gloriæ,

Rex insignis victoriæ,
Jesu largitor veniæ,
Honor cœlestis patriæ.


Tu fons misericordiæ,
Tu veræ lumen patriæ;
Pelle nubem tristitiæ,
Dans nobis lucem gloriæ.

Te cœli chorus prædicat,
Et tuas laudes replicat;
Jesum orbem lætificat,
Et nos Deo pacificat.

Jesum in pace imperat,
Quæ omnem sensum superat;
Hanc mea mens desiderat,
Et ea frui properat.

Jesum ad patrem rediit,
Cœleste regnum subiit:
Cor meum à me transiit:
Post Jesum simul abiit.

Quem prosequamur laudibus,
Votis, hymnis, & precibus:
Ut nos donet cœlestibus
Secum perfrui sedibus, AMEN.



ANNOTATIONES in Sermones S. BERNARDI.

AD HOMIL. II. super *Missus est.*

OPortebat à Principe mundi aliquamdiu celari divini consilii sacramentum.) *Dei Filius nasciturus ex Virgine, cur eam desponsari voluerit, sacri Doctores varias proferunt causas. Inter cæteras hæc una præcipua est, ut mysterium nati Messie Diabolo celaretur.*

Vi enim Basil. hom. de humana Christi generatione, & Damasc. lib. 4. de fid. c. 5. asserunt, Damon ex illa Isa. 7. testimonio: Ecce Virgo concipiet, noverat Christum de Virgine nasciturum. Eapropter diligentissime Virgines observabat, ut eius adventum agnosceret. Vi ergo Dominus illum eluderet, & in sua astutia comprehenderet, elegit Virginem Viro desponsatam, ut partum non virginitati, sed matrimonio adscriberet. Hanc causam reddit Ignat. Epist. ad Ephes. Ori-

pag. 35.

Cur Christus de Virgine desponsata nasci voluerit.

H h h h z

genes

gen. hom. 16. in Luc. & hom. 1. in diu. locos. Basil. l. cit. Ambr. Luc. 1. & Hieron. Matth. 1. Sed hanc rationem, (dicit quidam recens & celebris Evangeliorum Interpres,) malo libere fateri me non intelligere, quam temere reprehendere. Non, inquam, intelligo, quomodo Diabolus Mariæ virginitatem, si modo adverterit, potuerit ignorare, cum integrum & incorruptum corpus, quamvis nuptæ, videre possit. Itaque ob Doctorum auctoritatem, causa hæc declaranda est. Nec enim diffiteor, prima facie parum videri efficacem, cum Damon cognoscere facile possit, virginitatem scæmina, & quid agatur inter conjuges. Et quidem certum est, Dominum voluisse adventum suum celare Damonibus, ne, ut dicit Ambrosius, impediret mortem eius, qua erat redempturus mundum 1. Corinth. 2. Nemo Principium cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Deinde certum est etiam illud, Damonem subtilitate intellectus sui & acumine naturali potuisse cognoscere, beatam Virginem post partum mansisse Virginem, & incorruptam. Nam si homini nota & manifesta esse potest scæmina virginitas, multò magis Damoni: Deo tamen permittente & volente, Damon non animadvertit. Cernens enim illam esse conjugatam, cetera speculanti contempsit, matrimonio omnem illi impediende suspicionem, crediditque partum esse ex utero: cui sciebat scæminam esse desponsatam, sicque deceptus per desponsationem, non quod non posset virtute naturæ suæ Damon agnoscere virginitatem, sed quod investigare in conjugata non curaverit: eaque de causa non prius Conceptio Christi annunciatur, quam Virgo esset Viro desponsata. Damon enim iis que recte & iuste sunt, parum intendit. Causa igitur à tot tantisque doctoribus tradita hac via & modo intelligenda est. Ita fere Cardin. Toletus in Luc. c. 1. Sed in hæc ratio tuendi illam Patrum sententiam, Lectori singula discutienti satisfaciatur, nescio. Mihi quidem videtur non vacare scrupulo. Quis non statim replicet, iustorum actiones multò studiosius observare Diabolum, vel ut calumniatur, (iuxta nomen suum) vel ut labem aspergat? Exemplum habemus in Job. Et quidem B. Virginis vitam & actiones diligentius observasse, quis dubitet; eo quod illam desponsatam videret, quam ex voto perpetuæ castitatis, virum non debere cognoscere sciebat: num forte contra votum ageret? Itaque malin usurpare verba Interpretis, paulò ante recitata.

Maldon.

AD SERM. I. in Cæna Domini.

pag. 222.

De tribus itaque Sacramentis, &c.) Hoc Sermonem Bernardus pedum ablutionem Sacramentis annumerat, uti & facit Auctor Sermonum de operibus Christi cardinalibus apud Cyprianum. Sed *NOTA*, generalius ab iis usurpatum nomen Sacramenti, ut quæcunque rerum sacrarum signa complectatur.

AD SERM. II. Pentecost.

pag. 227.

Spiritus Sanctus qui certissima signa prædestinationis tuæ cordi tuo imprimat & ostendat,) Ad damnata Sectariorum huius sæculi dogmata pertinet.

pertinet, unicuique Christiano pro certo persuasum esse debere, se esse predestinatum, atque in numero salvandorum, scilicet ea certitudine, cui falsum subesse nequeat. Itaque cave putes verba Bern. horum errori favere. Nam certissima signa predestinationis Bernardo dicuntur, non quæ falsa esse nullo modo queant, sed quæ certissima sint in genere signorum, seu coniecturarum probabilium. Hac autem eo certiora cordibus fidelium imprimuntur, quo magis quisque in vita Christiana profecerit.

Per te restauratus gratiæ Theophilus.) Sub Iustiniano Imperatore, Theophilus in oppido Ciliciæ Adana Oeconomus, sive, ut alii volunt, Archidiaconus Ecclesiæ fuit: multis quidem gratus, & Episcopali munere, quod tamen constanter detraxerat, dignus habitus. Qui ab æmulis per iniuriam accusatus, & de officio deiectus, in eam animi impotentiam adeoque impietatem devenit, ut seductori Iudæo, itemque mago obsequutus, Christum Dei Filium, ac Matrem eius Mariam data syngrapha turpissime abnegaret, seque totum potestati Sathana, qui se conspicuum obtulerat, traderet ac manciparet. Sed totus deinde animo perturbatus, ut nusquam possit consistere, neque enim est pax aut quies impiis, tandem ad sanctissimam Dei Matrem confugit, ac templum ei sacrum petit, in quo precibus ac ieiuniis deditus, quadraginta dies permansit: nullumque orandi ac plorandi finem fecit, quousque demum opitulante Virgine Deipara, scriptam & consignatam Diabolo syngrapham recepit, in Dei gratiam rediit, & publice per Episcopum Ecclesiæ reconciliatus est. Vide Metaphrast. 4. Febr. Honor. Serm. 1. de Assumpt. Mar. Antonin. 4. p. Summ. Tit. 15. Sed illustre est de eodem testimonium B. Petri Dam. Quid tibi, ait, negabitur Maria, cui negatum non est Theophilum de ipsis perditionis faucibus revocare? Infelicem animulam, totum illud quod in te factum est, proprio caractere denegantem, de luto facis & miseræ sublevasti. Nil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare. Ita ille Serm. 1. de Nat. B. V. Vide Canisium in Opere Mariano lib. 5. c. 20. Spinell. in Throno Deiparæ.

Contra fidem
specialem Se-
lariorum.

pag. 385.
Theophilus se
Dæmoni de-
vovens, mira
per B. Vir. li-
beratus.

AD SERM II. de Omnibus Sanctis.

Interim sub Altari eos esse & non supra... Adhuc ergo signatum est pag. 407.
super eos lumen vult. Dom. & licet non plenam, habent tamen lætitiā multam in corde suo, donec veniat dies illa, qua implebit eos lætitiā cum vultu suo.) Plura eiusmodi loca occurrent in Bernardo, quibus eorum videtur accedere sententiæ, qui docent animas iustorum post hanc vitam, ante generalem corporum resurrectionem, & extremum iudicium, non admitti ad illam beatitudinem quæ in Dei visione consistit: sed interim versari in quadam felicitate imperfecta, quæ dolorem quidem omnem excluderet, refrigerium, quietem, lucem, gaudium præstaret, nondum tamen eorum desiderium expleret. Hoc docuisse ferunt Ioannem XXI. Pontif. & Parisensib. Theol. idem mandasse docendum.

H h h h 3

dum. Huic, inquam, opinioni videtur favere Bernardus compluribus locis, quibus hic simul & semel antidotum adhibere non abs resuerit. Nam præter verba citata rursus Serm. 3. de Omnib. SS. tres facit animarum sanctarum status, primum in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium in beatitudine consummata: primum in tabernaculis, secundum in atriis tertium in domo Dei, in quam domum negat eas sine corporibus intraturas. Et Serm. 4. dicit animas Martyrum esse sub Altari, quia solum vident Christi humanitatem, post corporum autem resurrectionem exaltandas esse super Altare ad videndum eius divinitatem. Similis locus est Ser. 4. in Dedicat. Eccles. & alibi.

Porro communis SS. Patrum & Ecclesia Doctorum sententia est, Animas piorum corporibus solutas non modo jam cælo receptas esse, & cum Christo regnare, sed simpliciter beatas esse, & Dei conspectu frui.

De Augustini circa hanc questionem sententia varii censent. Sunt qui putent, illum de loco animarum iustarum hæsisse ancipitem: Vtrum jam in cælo sint, an alibi. Lib. de cura pro mort. c. 3. Ench. c. 108 Lib. 12. de Civ. cap. 19. & alibi, Animas iustorum collocat in occultis sedibus, in secretis & abditis receptaculis. Tract. 49. in Joan. intra ea quæ promissa illis & nondum præstita, numerat vitam æternam cum Angelis, & Lib. 1. Retract. c. 14. dicit merito queri de sanctis hominibus jam defunctis, utrum ipsi saltem dicendi sint jam in illa possessione consistere, in qua sanctos Angelos esse non dubitatur. Vide similia apud eundem Lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 35. Item in Psal. 36. Post hanc vitam, inquit, nondum eris, ubi erunt Sancti, quibus dicitur: Venite benedicti. & c. v. Epist. 111. ad Fortun. Trac. 53. & 111 in Ioan. Expos. Pl. 85. & com. 1. sup. Ps. 48. Lib. de spir. & lit. c. 21. Quibus locis significat pios non admittendos ad visionem beatificam ante extremum iudicium.

Verum non de loco, sed potius de statu animarum ambigere Augustinum, studiosus eius Lector advertet. Sensit quippe, Animas Sanctorum videre quidem Deum facie ad faciem, sed non ita perfecte, quomodo videbunt post resurrectionem, idque propterea, quod naturalis earum appetitus, quo feruntur erga corpus, ut ei rursus uniantur, ipsumque administrent, remoretur eas, quo minus tota intentione ferantur in Deum, & proinde nondum pervenerint ad æqualitatem Angelorum, qui nullo impedimento retardantur, quo minus toti ferantur in Deum. Hoc ipsum tamen non ita sentit Augustinus, ut id pro certo haberet. Nam licet lib. 22. de Gen. ad litt. id affirmare videatur, attamen postea lib. 1. Retr. cap. 14. significat se adhuc dubitare. Quæ quidem Quæstio, ne nunc quidem omnino determinata est, nisi quod Concilium Florentinum, cum dicit Sanctorum animas perfecta frui felicitate, perfectiori tamen fruituras cum suis corporibus, postquam resurrexerint, videri cuiquam possit, ad Augustini sententiam desletere. Quævis hoc alii rectius non de intensiori, sed extensiori beatitudine putent esse intelligendum, propter beatitudinem corporis, quæ ad priorem animæ beatitudine accedet.

Eodem

Eodem modo verba S. Bernardi intelligenda sunt. Tantum enim negat animas Sanctorum tam perfecte nunc videre Deum, quam visura sint receptis corporibus. Nam hoc cum sentire, probant ista verba Sermon. 3. de Omn. SS. quibus sic carnem alloquitur: Animæ sanctæ te desiderant: ipsarum sine te compleri lætitia, perfici gloria, consummari beatitudo non potest. Adeo siquidem viget in iis desiderium hoc naturale, ut necdum tota earum affectio libere pergat in Deum, sed contrahatur quodammodo, & rugam faciat, dum inclinatur desiderio tui.

Sic Bernardus Augustini sententiam ea in re sequutus, quam & sequitur S. Tom. Bonavent. Richard. & Marfil. scribentes in dist. 49. 4. sent. Tametsi S. Thom. sententiam postea mutavit. Nam 1. 2. q. 4. a. 5. aperte docet, quod resumpto corpore beatitudo animæ crescat non intensiue sed extensiue.

Ceterum de statu Animarum sanctarum post hanc vitam, nempe quod fruantur visione divina Bernardus satis aperte suam promittit sententiam variis in locis. Nam lib. de dilig. Deo, circa finem dicit Martyres immersos esse immenso pelago aeterni luminis, & luminosa aeternitatis. Et Epist. ad Fratres de Hyber. dicit animam Malachia, non jam in fide ambulare, sed in specie regnare. Et Sermon. de eodem, dicit eum pari gloria & felicitate regnare cum Angelis, Sermon. 3. in die Palm. num. 5. Sermon. 1. Pentecost. Sermon. 2. de Ascens. Item Sermon. 6. in Cant. dicit quosdam jam meruisse introduci in Sancta Sanctorum, ubi videant faciem stantis, id est, claritatem incommutabilis Dei. Similia quaedam generaliter de Sanctorum animabus testatur Sermon. 4. & 5. de Omn. SS. de Obitu Humberti. Epist. 98. n. 8. rursus Epist. 266. & alibi sapius. Vide Bened. Iustin. in Epist. ad Philip. cap. 1. v. 21. in illa verba: Mihi vivere Christus est, & mori lucrum, ubi observat ex Chryso. Teoph. & aliis. Non vere pro lucro habendam esse mortem, nisi statim iustorum animæ, ad Dei conspectum evebantur.

AD SERM. I. De verbis Isaia cap. 6. Vide Dominum, &c.

Corrigi Notam marginalem, hoc modo: Hi sermones in verba Isaia hoc loco statim post festum Omn. SS. ponuntur, eo quod ex Prophetia Isaia desumptum Resp. Vidi Dominum, in Officio Matut. legitur initio Novemb. pag. 427.

AD SERM. IV. De Dedicatione.

De atris, quæ animas iustorum hinc exeuntes excipiunt, minus commoda videtur habere sententiam. Sed hac de re paulo ante satis egimus. Vide Cornel. 6. Apoc. v. 9. Ibidemque Pererium Dissut. Bellarm. l. 1. de Beatit. SS. c. 3. pag. 490.

AD SERM. XIII. In Psalm. Qui habitat.

Proxime lectum est vobis de beatissimo Patre nostro Benedicto, quod... vidit Germani Capuani Episcopi animam in sphaera ignea, &c.) Lege historiam apud S. Gregorium M. lib. 2. Dial. c. 35. Vide etiam Petrum Abb. Clun. lib. 3. Epist. 7. Sandæum in Theol. varia. pag. 546.

AD

pag. 696.

Periit virtus illa à me.) Nempe *virginitas*. His verbis movetur Bellarm. ut Sermonem non putet esse Bernardi, quem satis constat, *virginitatis lauream ad extremum usque spiritum servasse illibatam*. Et certe alterutrum sequi videtur, ut aut Sermo non sit Bernardi, aut Bernardus non sit virgo. Sed quid vetat utrumque & Sermonem & Virginitatem Bernardo asserere, verbis his ne quidquam obstantibus? Nec enim inusitatum Sanctis, & Prædicatoribus verbi divini, subinde loqui ex persona auditorum, & in seipsos quasi derivare ac transferre peccatum, quod castigare statuerunt. Nescio enim quis dixerit: suavem corripienti modum esse, si quis vitii, quod acrius perstringere vult, censuram contra seipsum, vult eiusdem culpa affinem, dirigat. Nam durius & acerbius ferit correptio, quæ ab innocente contra noxios procedit. Tales corripienti & loquendi formulas non raro apud Hieron. itémque Bern. nostrum reperies. Nempe didicerunt ab Apost. omnibus omnia fieri, ut omnes lucrifaciant. Et medicus, debet quodammodo cum infirmo infirmari, si velit feliciter curare. Sed an non Christum sæpe legimus in persona peccatoris loquentum, & totius humani generis peccata quasi sua reputantem? Hinc illa: Longe à salute mea verba delictorum meorum. Et similia in Psalmis multa.

Itaque, ut ad Bernardum revertar, dico eum ex persona Auditorum loqui, velut inquirentem, quid illis restet apud Virginem Deiparam, quibus non licet cum ipsa de *servata virginitate* gloriari. Porro in tanto Religiosorum numero, quis dubitet fuisse, qui post factum virginitatis pridem in sæculo naufragium, tabulam pœnitentiæ in Monasterio apprehenderint?

AD SERM. L. De Diversis.

pag. 699.

Non dicit Ecclesiasten aut Ididan. Salomon jussu divino per Nathan Prophetam vocatus est, Amabilis Domino, Hebraicè, Iedidejah. Ex quo facilioris pronuntiationis gratia formatum, Idida. Itaque fuit binomius, licet hoc nomen extet tantum 2. Reg. 12. v. 25. Immo trinomius, si addas nomen Ecclesiastæ.

Finis ANNOT. in Sermones S. BERNARDI.

